

*in caelis præter Te, ô Deus? & præter Te nolo (quenquam) in terra. Ps. LXXIII. vers. 25. Tantummodo in Deo conquiescit anima mea: ab ea salus mea est, Psal. LXII. v. 2. sane hic prægustus est ejus amoris, quo beati post hanc vitam Deo perfecte inhærebunt ac fruuntur. Denique quando homo in Dei per Christum propitii ac plenam beatitudinem aliquando collaturi contemplatione jam in hac vita occupatus, ipsam beatitudinem, ut bonum, absens quidem atque arduum, possibile tamen & quod se obtenturum credit, ita appetit, ut interim pascat animum in beatitudinem illam posthac consequendam intentum, & collatione boni spiritualis hujus vitæ certioorem factum: ecce prægustum gaudii, in vita altera consequendi! ecce primitias messis optimæ aliquando secuturæ!*

LXX. Verum hæc fortassis vulgaria nimis videntur & sordent illis, qui singularia quærunt, ac talem prægustum beatitudinis, qui hominibus per *ἐκστασι* quandam contingat, & relevationes novas rerum ex Scriptura per necessariam consequentiam non deducendarum importet.

LXXI. Forte etiam huc spectare videtur, (1.) quod B. Lutherus scripsit in Explic. Cantici Mariæ seu *Magnificat* T. I. Altenb. fol. 758. a. Mariam in verbis. *Magnificat anima mea Dominum*, dicere voluisse: *Es schwebt mein Leben und alle meine Sinne in Gottes Liebe / Lob und hohen Freuden / daß ich mein selbst nicht mächtig / mehr erhaben werde / denn ich mich selbst erhebe zu Gottes Lob; & addit: wie denn geschicht allen denen / die mit Göttlicher Süßigkeit und Geist durchgossen werden / daß sie mehr fühlen / denn sie sagen können. Præterea quoque (2.) non pauca memorantur exempla, testimoniis hominum fide dignorum comprobata, quod piis, fidelibus ac devotis quibusdam Christianis, masculini pariter ac foeminei sexus, paulo ante beatam mortem, cum animæ a corpore discessuræ, jamque cælo, quam terris viciniore, certe magis intentæ essent; peculiare visiones ac revelationes vel in somno vel vigilantibus obtigerint, quibus se in Paradiso aut horto amœnissimo*

nissimo